



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

W 113

Th
4990

Th. 4990.

Pat. Schall
v. Pag 19.

19. 1. 1844
11. 1. 1844



Provincia PEKIM continet Urbes Metropolitanas 8. Ciuitates 735. familias 438839. collegiū et 2. Templā Regio fauore erecta. extra aulam templā 4. et missiones.

Provincia XANTUM continet Urbes 5. ciuit. 92. famil. 589659. Templā 5. Residentias 3. oratoria et missiones 29.

Provincia XANSI continet Urbes 8. ciuit. 707. famil. 830553. Templā 6. Residentias 2. Oratoria et missiones 27.

Provincia HONAN continet Urbes 8. ciuit. 700. famil. 589296. Templum et Residentiam.

Provincia SICHUEN continet Urbes 8. ciuit. 724. familias - 464729. Templā 3. Residentias olim 2.

Provincia HUQUAM continet Urbes 75. ciuit. 708. familias 537686. Templā 4. Resid. 3. Missiones 8.

Provincia NANKIM continet Urbes 74. ciuit. 700. familias 7969876. collegium, Resid. 5. intra Urbes et ciuit. Templā 78. in pagis Templā 703. Miss. 65.

Provincia CHEKIAM continet Urbes 11. Ciuitates 63 familias 7242735. collegium, tyrociniū Templā 5. olim item alia Templā 2. et Resid.

Provincia KIAMSU continet Urb. 73. ciuit. 67. famil. 7363629. Templā 7. Residentias 3. missiones 15.

Provincia FOKIEN continet Urbes 8. ciuitates 48. familias 509200. Templā 24. Resid. 5. et missiones.

Provincia QUAMTUM continet Urbes 70. Ciuitates 73. familias 423360. Templā 7. Residentias olim 3. et Missiones.

Provincia QUAMSI continet Urb. 11. ciuit. 99. familias 786719. Templum olim et Residentia.

Provincia YUNNAN continet Urb. 22. ciuitates 84. familias 732958.

Provincia QUEYCHEU continet Urbes 8. ciuit. 70. famil. 45303

XV Provincia Summatim continet Urbes Metropolitanas 155. Ciuitates 7312. Præter oppida militaria 2357. Familias 70728789. Virorum capita 58976783. Templā a Societate Iesu primo sæculo erecta circiter 200. Residentias publico sigillo munitas 24. præter tria inchoata Collegia, oratoria, Missiones.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

φ Philippus Couplet S. J. Sinensis Missioni Procurator.

Parisii, apud Joannem Nolin viâ Jacobæ sub signo Plateæ Victoriarum. Cum Præuilegio Regis.



CATALOGUS
PATRUM
SOCIETATIS JESU,

QUI POST OBITUM S. FRANCISCI
Xaverii primo sæculo, sive ab anno 1581. usque
ad 1681. in Imperio Sinarum JESU-CHRISTI
fidem propagarunt.

*Ubi singulorum nomina, patria, ingressus,
predicatio, mors, sepultura, libri Sinice
editi recensentur.*



M. DC. LXXXVI.

Sociis Jesu

CATALOGUS

PATRUM

SOCIETATIS IESU.

QUI POST OBITUM S. FRANCISCI

Xaverii primo saculo, five ab anno 1552. usque
ad idem, in Imperio Germaniæ Iesu-Christi
fidem propagaverunt.

Ubi singulorum nomina, patria, ingressus,
prædicatio, mors, sepultura, libri & litteræ
eius recipiuntur.



M. DC. LXXVI.



PRÆFATIO.

HABES, Amice Lector, Catalogum centum quinque Patrum è Societate Jesu qui per tredecim Imperii Sinensis Provincias fidem Christianam qua voce, qua scriptis libris propagarunt. Non annuero eos qui supra centum ex Europâ in Sinas profecti, in viâ seu terrestri seu præcipuè maritimâ, seu etiam in ipso Sinarum portu, ad ultimum desideriorum portum (Deo ipsorum vota remunerante) prius pervenerunt, quam Sinam videre licuerit: in hoc saltem ipsi pares Xaverio, qui Sinarum desiderio immortalis est.

Quod spectat domicilia Societatis ibidem pietate & munificentia principum Europæorum aliorumque fundata & stabilita; præter minores aliquot domos & Residentias, numerat Societas tria Collegia inchoata, Domum item probationis, & viginti-quatuor Residentias formatas, easque authenticis tabulis & præsectorum sigillis munitas: Tempa vero Deo dicata circiter ducenta, partim in urbibus, partim in vicis: quibus non adnumero Oratoria, Sacella, & Missiones.

Ad libros vero Sinicè editos quod attinet, qui non per quindecim duntaxat Provincias vulgantur, sed & in Tartariam, Coream, Japoniam, Tunkinum, Cochinchinam penetrant, & quorum pars non exigua jam etiam favore Innocenti XI. in Vaticanâ Bibliothecâ locum obtinet; ii quidem quod materias sacras & diversi gene-

ris opera, numerantur omnino 126. Mathematici autem
& Morales & Philosophici 89. volumina vero Sinica
universim 486.

Hic porro Catalogus Sinicè primùm editus anno 1647.
sub nomine duorum magni nominis litteratorum Han
& Cham, succedentibus deinde annis & novis fidei
præconibus auctus & sæpius recusatus, unius demum sæculi
decursu circumscriptus est. Præmissa introductio de signis
veræ religionis; ubi post miraculorum, Martyrum, Con-
fessorum &c testimonia, affertur etiam testimonium ex
iis petitum qui per tot pericula & vitæ discrimina gratis
veniunt ex altero orbe annunciatum Christi legem: qui-
que vitæ exemplo, & ea scientiarum soliditate, quæ in
tot libris editis continentur, probandæ & confirmandæ
veritati divinæ legis pondus non exiguum Sinis afferunt.

Adjecit locus sepulturæ singulorum sociorum seu
Evangelii præconum: ut si fortè (quod Deus avertat)
tempestate aliqua contingat omnes externos è Sinis aman-
dari, prætextû pietatis erga fratres nostros & affines de-
mortuos liceat aliquando reditum obtinere, apud gentem
in hoc pietatis genus semper propensam.

Multa quoque studio præterita sunt in Sinensi editione
(quæ in ista adjecimus) eo quod genti adeo politicæ &
susplicaci adversus externos, cautè & circumspectè scriben-
dum. Unde ea ferè illic adducta, quæ ad Fidei & ejus
præconum commendationem apud ethnicos conducerent,
ut sunt regii favores nostris impensi, quos ad Dei glo-
riam referre Christiana pietas docet. Vale & pro no-
vella hac vinea proque operariis Dominum precare.



CATALOGUS PATRUM SOCIETATIS JESU,

Qui post obitum S. Francisci Xaverii primo
saeculo, sive ab anno 1581. usque ad 1681.
in Imperio Sinarum JESU CHRISTI
fidem propagarunt.

*Ubi singulorum nomina, patria, ingressus,
predicatio, mors, sepultura, libri Sinice
editi recensentur.*

S FRANCISCUS XAVERIUS Navar-
rus Orientis Apostolus, imperantis *Kia cim*
(è Familia *Tai mim*) anno 31. Cycli autem LXXI.
anno 49. *Gin cu*, dicto (qui fuit 1552.) pervenit
ad *San cheu*, insulam objectam Provinviæ Sinicæ
Quam tum, ubi mox obdormivit in Domino 2.
Decemb. æt. 52. Ejus corpus etiam nunc incor-
ruptum Goæ servatur in Ecclesia. Hic & in vita
& post mortem plurimis claruit miraculis hucus-

que non intermissis. Extant ejusdem Epistolæ
quas inter una Cocino scripta ad S. P. Ignatium
4. Kal. Febr. an. 1552. quæ sic habet.

*Scipsimus lingua Japonica librum explicantem origi-
nem & cuncta vitæ Christi mysteria. Eundemque deinde
librum Sinicis characteribus descripsimus, quod exemplar
cogitamus ferre nobiscum euntes ad Sinas.*

I. P. MICHAEL ROGERIUS Italus
Imperatoris *Van lie*, anno 9. (1581.) Cycli 72.
anno 18. *Sin su* dicto missus ab orientis visitatore
P. Alexandro Valignano Italo venit primus pro-
pagatum S. Fidem in Provinciæ *Quam tum* urbe
prætoria *Chao kin*, ubi Ecclesiæ prima jecit fun-
damenta anno 1583. postea missus in Europam
obiit in Patria anno 1607. æt. 68. ab eodem edita
anno 1584.

Divina legis vera relatio ubi de Incarnatione
& Passione Domini uti & in primo catechismo
Kiao yao dicto qui communi consensu circa id
tempus est editus, in quo & Ecclesiæ præcepta
continentur.

II. P. FRANCISCUS PASIUS Italus
Imp. *Van lie*, anno 10. (1582.) venit propagatum
fidem in Prou. *Quam tum*: deinde renunciatus visi-
tator in Sina & Japonia: ex qua redux *Macaum*,
anno 1612. diem obiit, æt. 65. & ibidem sepul-
tus est.

III.

III. P. MATHÆUS RICCIUS Italus
 fundator, & deinde moderator missionis Sinicæ,
 imperantis *Van lie* anno 11. Cycli 72. anno 20.
Quei vi dicto (1583.) prædicavit fidem in variis
 Provinciæ *Quam tum* locis; deinde in Provinciæ
Kiam si Metropoli *Nan cham*, ubi sedem stabilivit:
 postea mortuus in Provinciæ *Che kiam* Me-
 tropoli *Ham cheu*. *Van lie* autem Imperatoris an-
 no 28. & Cycli ejusdem an. 37. (1600.) *Kem cu*
 dicto, post 17. annorum constantem in tot la-
 boribus & lucubrationibus patientiam perruptis
 claustris primus urbem regiam *Pekin* penetravit
 cum Patre Didaco Pantoja, & muneribus sacris
 & mathematicis. Hic singularis Imperatoris be-
 neficentia permissus est residere, ædes ad id in-
 dulgendo, & victu sumptibus Regiis assignato.
 Octavo demum & 30. Imperatoris anno, & Cycli
 anno 47. *Kem sio* dicto (1610.) Luna 4. ætatis suæ
 58. cum fama sanctitatis diem obiit. Honoribus
 posthumis ab Imperatore fuit donatus & sepul-
 tura quæ sita est extra urbis Regiæ Portam *Feu*
chim dictam. Extat de ejus vita & actis liber Sini-
 cus. In lucem ab eo edita sunt sequentia.

Cælestis Doctrinæ vera Ratio 2. vol.

Decem Paradoxa sacra, & moralia, 2. vol.

Disputatio contra sectas idolatricas.

B

Sententia morales.

Euclidis sex libri priores. 6. vol. De Amicitia.

Universa Arithmetica practica, 11. vol.

Litterarum Europæarum norma.

Ars memoria. Geometrica practica.

Cœli materialis, Terraque ratio, 2. vol.

De Mensuris.

Cœlestis ac Terrestris sphaera explanatio, 2. vol.

De figuris isoperimetris.

Magna mappa cosmographica unica figura elliptica totum orbem complectens.

IV. P. EDUARDUS SANDEZ Lusitanus *Van lie* Imperatoris anno 13. (1585.) cœpit prædicare Fidem in Provincia *Quam tum*, dein obiit & sepultus est *Macai*.

V. P. ANTONIUS ALMEIDA Lusitanus eodem anno propagavit Fidem in Provincia *Kiam si* & *Che kiam*, postea redux in Provinciam *Quam tum* obiit in urbe *Xao cheu* 1591.

VI. P. FRANCISCUS PETRI Italus *Van lie* Imperatoris anno 18. (1590.) venit in Provinciam *Quam tum* urbem *Xao cheu*, ubi triennio post (1593.) obiit. Ejus feretrum una cum feretro

7

P. Almeida *Macaum* tranſvectum in Eccleſia con-
ditum eſt.

VII. P. LAZARUS CATANEUS Genuen-
ſis *Van lie* Imperatore anno 22. (1504.) prædica-
vit fidem, & in Provinciæ *Nan kim* maritimâ ci-
vitare *Xam hay*, deinde in Provinciæ *Che kiam*
Metropoli, quibus locis ſedes & Eccleſias ſtabili-
vit: diem obiit 1640. æt. 80. & ſepultus extra mu-
ros metropolis *Ham chen* in loco *fam cin* dicto. Ab
eo edita.

Introductio animæ ad Deum.

De Contritione Libellus.

Ad Præſulum reliquit.

De alterâ vitâ. 2. vol.

*Item Vocabularium ordine alphabetico Europæo more
concinnatum, & per accentus ſuos digeſtum.*

VIII. P. JOANNES SOERIUS Luſitanus
Van lie Imp. anno 23. (1595.) prædicavit fidem
in Provinciæ *Kiam ſi* Metropoli *Nam cham*, ibi-
demque obiit 1607. cum opinione ſanctitatis.
ſepultus eſt *Macai*. ab eo edita

Introductio ad fidem Chriſtianam.

IX. P. NICOLAUS LONGOBARDUS
Siculus *Van lie* Imp. an. 25. (1597.) venit in
Provinciæ *Quan tum* urbem *Xao cheu*: unde poſt

navatam aliquot annis operam rei Christianæ migravit in Metropolim Provinciæ *Pekin*, fidem late propagavit. in urbe regiâ deinde diu commoratus Imperatoris *Xun chi* Tartaro-sinici anno 11. (1655.) obiit, æt. 96. Idem Imperator in hujus exequias 300. aureos donavit, legavit item è Palatio Magnatem qui ei suo nomine parentaret : jussit quoque ejus effigiem depingi. sepultus est extra portam *Feu chim* dictam. Ab eo edita.

Exercitium quotidianum variarum precum.

Methodus meditandi mysteria Rosarii, cum meditationibus Christi patientis.

De Anima ejusque Potentiis.

De morte Libellus.

Vita SS. Josaphati & Barlaami.

Litania Sanctorum.

De Terræ motu Tractatus.

X. P. JOANNES DE ROCHA Lusitanus *Van lie* Imp. anno 26. (1598.) venit in Civitatem *Kiatim* Provinciæ *Nam kin*, ubi sedem & Ecclesiam inchoavit : dein perrexit in Provinciæ *Chekiam* metropolim *Ham cheu*, ubi *Tien ki* Imp. anno 3. (1623.) diem obiit. Luctum induit cum totâ familiâ

9
familiâ Doctor *Sen* Paulus veluti pro parente suo,
à quo scilicet fuerat per S. lavacrum Deo & cœlo
regeneratus, sepultus est extra muros Metropolis
in loco *Fam cin.* ab eo editus

Cathechismus Lusitanus (vulgò *cartilha*) ubi fuse S.

Passio Domini & *Ecclesie præcepta* continentur.

Item de praxi recitandi *Rosarium* ubi explicat 5 *mysteria*
dolorosa appositis imaginibus Christi patientis & crucifixi.

XI. P. DIDACUS PANTOJA Hispanus
Van lie Imp. an. 27. (1599.) Sinam ac
deinde cum P. Mathæo Riccio aulam, ingressus
ibidem prædicavit fidem, donec in prima gene-
rali persecutione anno 1615. exorta, cum aliis so-
ciis *Macaum* relegatus ibidem obiit (1618.) & se-
pultus est. Ab eo edita.

De origine hominis ubi de peccato originali, Diluvio, &c.

12 *Articuli Symboli Apostolorum.* 2. vol. ubi fuse de
Passione Domini.

De Deo ejusque attributis.

De Angelis bonis, & reprobis.

De Passione Domini tractatus singularis.

De Victoriis 7. virtutum contra septem peccata capita-
lia. 7. vol.

C

De S. Lege Libelli supplices.

Hactenus qui sæculo præterito ingressi Sinam fuere numero undecim e Societate Jesu, dilatata fide Christiana, erectisque sedibus & inchoatis Ecclesiis per quatuor Provincias, *Quam tum, Kiam si, Che kiam, Nan kim,*

XII. P. EMMANUEL DIAZ (Visitator) Lusitanus, Imp. *Vian lie* anno 29. (1601.) Visitator renunciatus venit in Provincias *Kiam si & Nan kim.* Postea rediit in Provinciam *Quan tum.* obiit *Macai* (1639.) æt. 80. & ibidem sepultus.

XIII. P. PETRUS RIBEIRO Lusitanus, *Van lie* Imp. anno 32. (1604.) prædicavit fidem. 1º. in Provincia *Che kiam*, dein in civitate *Xam hay* Provinciæ *Nan kim*, unde diu post reversus in *Che kiam*, ubi obiit anno 1640. æt. circiter 80. & sepultus extra Metropolim in loco *Fam cin.*

XIV. P. GASPAR FERREIRA Lusitanus eodem anno ingressus Provinciam *Honan* fidem inibi propagavit: deinde in Provinciæ *Kiam si* urbe *Kiem cham*, ubi Ecclesiam cum ædibus fundavit. inde regressus in Prov: *Quan tum*, ibidem obiit (1649.) æt. 78. & sepultus *Macai.* Ab eo edita

Suffragia pro sanctis mensuris cum sententiis Sac. Scriptura & SS. Patrum.

Meditationes de 15. Rosarii mysteriis. Ubi de Passione Domini.

Exercitium pietatis ad corda fidelium inflammanda in S. passione Domini, opus posthumum.

XV. P. BARTHOLOMÆUS TUDESCHINI Italus, eodem anno prædicavit fidem in Prov. *Kiam si*, dein in Provinciæ *Quam tum* urbe *Xao chen* ubi obiit 1609. & sepultus est.

XVI. P. ALPHONSUS VAGNONI Pedemontanus *Van lie* Imp. anno 33. (1605.) ingressus *Nan kim* Metropolim ubi publicam aperuit Ecclesiam: deinde primus primus prædicavit fidem in Provinciæ *Xan si* Metropoli *Tai yuen* aliisque oppidis in quibus varias fundavit Ecclesias operâ & favore Præfectorum & primi nominis Litteratorum quos Christo pepererat. Imperantis vero *Zum chim* anno 13. (1640.) obiit æt. 75. & sepultus extra portam oppidi *Kiam chen*. Ab eo edita.

Fusa explicatio Catechismi, ubi de S. passione Domini
2. vol.

Beata Virginis vita, mors, miracula. 3. vol.

Selecta sanctorum Vita. 7. vol.

De Sanctorum Imitatione.

Quatuor novissima. 4. vol.

*De Cæli & Terræ principio, & opere sex Dierum.
Decem consolationes.*

*De Recta sui ipsius institutione juxta Doctrinam
Europæorum. 10. vol.*

De recta Familiæ institutione juxta Europæos 5. vol.

De Recta gubernatione Regni juxta Europæos. 4. vol.

Recta juventutis institutio. 2. vol.

Philosophicæ Quæstiones. 2. vol.

Liber similitudinum moralium. 2. vol.

De spiritibus. 2. vol.

Meteora. 2. vol.

XVII. P. FELICIANUS DE SYLVA Lusitanus eodem anno venit in Metropolim *Namkim*, ubi sedem & Ecclesiam inchoavit, & hoc ipso anno 1605. è vivis ereptus extra portam australem ad pedem collis *Yo hoa tai* dicti.

XVIII. P. HIERONIMUS RODRIGUEZ Lusitanus, Visitator, eodem anno venit in Prov: *Quantum*, inde *Macaum* redux ibidem obiit & sepultus est.

XIX. P. SABBATHINUS DE URSIS Italus *Van lie* Imp. anno 34. (1606.) ingressus Aulam ad prædicandam fidem. Ibi ex mandato Imper. *Tien ki* adhibitus ad componendas Ephemerides, dein

dein in *quam tum* redux *Macai* obiit 1620. & sepultus est. Ab eo edita.

De Machinis hydraulicis. 6. vol.

Planisphaerium.

De Gnomonica & Analemmate.

XX. P. EMMANUEL DIAZ junior Lusitanus Visitator, *Van lie* Imp. anno. 38. (1610.) venit in Metropolim *Nam Kim* ubi sedem & Ecclesiam ante inchoatam stabilivit. Dein perrexit in Provincia *Che Kiam* Metropolim, ubi operâ Doctoris Michaëlis Ecclesiam fundavit, & Collegium cum Seminario inchoavit, denique Imperii *Xun chi* Tartaro-Sinici anno 16. (1659.) æt. 85. diem obiit cum opinione sanctitatis. sepultus est extra muros in loco *fam cin.* Ab eo edita.

Commentaria in Evangelia totius anni. 14. vol. ubi de *S. Domini* passione & morte fusissime disserit.

Fusa declaratio Decalogi.

Litania SS. Angelorum.

Fusa explicatio monumenti lapidei detecti anno 1625. in Provincia Xensi.

Vita S. Josephi sponsi B. M. V. & Sinarum Patroni.

Tractatus de Sphæra.

Reliquit ad Præcelum

Thomam à Kempis de contemptu mundi. 2. vol.

Directorium ad fugienda peccata.

XXI. P. NICOLAUS TRIGAULTIUS Belga, eodem anno propagavit fidem in Prov. *Nan kim*, deinde redux ab Europa refedit in Provinciæ *Che Kiam* Metropoli *Ham cheu* ubi *Zum chim* Imp. anno. 2. (1629.) obiit & sepultus in loco *fam çin*. Ab eo edita.

De Computo Ectlesiastico.

Vocabularium Sinarum ad vocabula Europæa & pronunciationes juxta accentus. 3. vol.

Æsopi selectæ Fabulæ.

Latine item ab eo editæ annuæ missiones, & P. Matthæi Riccii Liber de expeditione Christiana apud Sinas.

XX. P. FRANCISCUS SAMBIASI Neapolitanus *Van lie* Imp. an. 41. (1613.) venit prædicatum fidem. Ex mandato Regis in aulam accitus, inde in Provincias *Ho nan* & *Xantum*, tandem cum *Siu Paulo Colao* venit in civitatem *Xam hay*: Deinde in *Su cheu*, *Yam cheu*, *Hoayngan*, *Nympo*, aliasque urbes Provinciæ *Nam kim* & *Che Kiam*, quibus in locis ab anno 1620. operâ & favore Proregum ac Præfectorum, ædes &

Ⓒ

Ecclesias erexit. Denique ab Imperatore *Xun quam* sub exitum Familix *Tai mim* cum potestate *Macaum* missus obiit in Metropoli *Quam cheu*, Provincia *Quam tum* an. 1640. æt. 67. Pro ejus sepulturâ amplum ei prædium cum lapide sepulcrali extra urbem Macaensem ex mandato regio assignatum. Ab eo edita.

De attributis divinis.

De Triplici anima, vegetativa, sensitiva & rationali,
2. vol.

De Causis somniorum.

De Pictura.

XXIII. P. JULIUS ALENI Italus *Van lie* Imp. anno 41. (1613.) primò ingressus aulam, dein cum *Siu Paulo Colao* venit in *Xam hay*, inde in *Che kiam*, ubi late promulgavit fidem, ac tandem in *Prou. Fo kien*, ibidem vulgo dictus *Confucius Occidentis*. Hic operâ & favore *Ye Colai* & Præfectorum in 8. urbibus Metropolitanis fundavit ædes & Ecclesias cum magnis rei Christianæ incrementis: per 13. deinde alia oppida erectis Templis & Oratoriis, tandem Imp. *Xun chi* anno 6. (1649.) obiit in urbe *Yen pim* æt. 67. sepultus est extra muros *Fo cheu* metropolis. Ab eo edita.

*Dei Salvatoris vita, Passio & mors ex quatuor Evan-
gel. 8. vol.*

*Introductio ad Domini Incarnat. & S. Passionem, siue
prophetia.*

De S. Missæ sacrificio. 2. vol.

De Sacramento pœnitentiæ. 2. vol.

De Contritione.

Rerum omnium vera origo.

Dialogi cum Colao Ye de controversiis fidei.

Tractatus de Eucharistia cum exemplis.

Vita & Passio Salvatoris iconibus expressa juxta

P. Hieronymum Natalem.

Ex quo libro acerrimus fidei hostis Yam quam
sien 1663. desumpsit imaginem pendentis inter la-
trones Salvatoris, & pestifero suo libro insertam
oculis totius Imperii videndam exposuit: ut per-
suaderet eum à Christianis adorari qui, quod
regnum Judææ affectasset, sic fuisset cruci fixus.

D. Bernardi Dialogus inter corpus & animam.

Vita P. Mattæi Riccii.

Vita Doctoris Leonis.

Vita Doctoris Michaëlis.

Collectio

Collectio prologorum à præcipua nota Mandarinis, variis nostrorum libris præfixorum ad commendationem Religionis Christianæ & fidei præconum, 4. vol.

59. *Selectæ ex piis authoribus sententiæ.*

Legis divinæ compendium ad captum puerorum quatuor litterarum metris explanatum.

Responsa ad quasita litteratorum in omni materiâ tam sacra quam profanâ, 8. vol.

De scientiis Europæis.

Philosophia de anima ejusque potentiis, 3. vol.

Notitia cosmographica regnorum totius orbis, 5. vol.

Dialogus de rebus & ritibus Europæis, 2. vol.

Præxes necessaria Geometriæ, 4. vol.

Compendium Euclidis.

XXIV. P. PETRUS SPIRA BELGA, eodem anno (1613.) propagavit fidem in Prou. *Kiam si* metropoli *Nan cham* : dein invitatus in Prou. *Hu quam* rei Christianæ causa, à latronibus occisus & in flumen projectus est. Corpus inventum & extra muros Metropolis sepultum.

XXV. P. ALVARUS SEMEDUS Lusitanus eodem anno (1613.) prædicavit fidem in *Ham cheu* metropoli Prou. *Che kiam*, ubi multum usus opera Doctoris *Yam Michaëlis*. tandem missus Romam : unde redux obiit 1658. æt. 73. in

E

Metropoli Provinciae *Quam tum*. sepultus est *Macai*.

Duo vocabularia amplissima reliquit pro prelo.

XXVI. P. JOANNES UREMAN Dalmata
Van lie Imp. anno 48. (1620.) venit in *Nam kim*
metropolim, ubi non diu post obiit & sepultus
extra muros ad pedem collis *Yo hoa tai* dicti.

XXVII. P. JOANNES TERENCEUS
Germanus anno 1. Imp. *Tiem ki* (1621.) venit in
Quan tum: deinde aulam ingressus, ubi regio jussu
Ephemerides emendavit, *Zum chim* Imp. anno 3.
(1630.) in aula obiit: sepultus extra portam *Feu*
chim. Ab eo edita.

De corporis humani fabrica, 2. vol.

Instrumentorum mathematicorum descriptio & explana-
natio, 3. vol.

Compendium utrisque Sphaera, 2. vol.

De Zodiaco, Ecliptica & eclipsibus, 2. vol.

De Sphaera recta constructione.

Trigonometria, 2. vol.

XXVIII. P. FRANCISCUS FURTADO
Lusitanus *Tien ki* Imp. anno 1. (1621.) venit in
Prov. *Che kiam*, deinde *Xen si*: in hujus Me-
tropoli aedes cum Ecclesiâ stabilivit: Postea re-
nunciatus Visitator perrexit in *Quam tum*, & *Ma-*

caum, ubi obiit 1653. & ibidem sepultus est. Ab eo edita.

De Cælo & Mundo, 6. vol.

Logica & Metaphysica Conimbricensis, 10. vol.

XXIX. P. JOANNES ADAMUS SCHALL Germanus *Tien ki* Imp. anno 2. (1622.) regio mandato ingressus Aulam ad reformandas Ephemerides, sub sequente Familia Tartaro-Sinica jussus est reformare Calendarium juxta astronomiam Europæam, & creatus Præses Academia mathematicæ: donatus insuper *arcana & subtilissima legis Doctoris* encomio: deinde non uno superioris dignitatis gradu ac titulo, quem libello supplici frustra recusavit, aliisque favoribus & beneficiis cumulatus. Quin ipse Imperator dignatus est ad ejus ædes & novam Ecclesiam formâ Europæa à fundamentis extructam non semel divertere. Postquam verò, tanquam auctor rebellionis damnatus capitis in odium fidei, ac divinitus fuerat servatus, tandem *Cam hi* anno 4. (1665.) 15. Augusti placide obiit. Imperator anno imperii sui 8, *Luna* 10. (1669.) illum magnis honoribus postliminio sepeliri voluit, in eam rem largitus 524. aureos, & amplum prædium in sepulturam: Mandarinum quoque legavit qui suo ei nomine parentaret. Sepultus est extra portam *Fenchim* dictam. Ab eo edita.

*De S. Salvatoris imagine libellus supplex ad Imperato-
rem.*

De Providentia numinis, 2. vol.

*Christiana legis ortus, & progressus: ubi refutatio sectae
gentilicae, dein multa de Incarnatione & Passione
Domini, 4. vol.*

De octo Beatitudinibus.

De Fabrica & usu Sphaerae caelestis & terrestris, 5. vol.

Examen Eclipsium modernarum & veterum.

Europaea in concinnando Calendario methodus.

De Ratione Tubi optici.

*Mappa Stellarum octo foliis constans, divisa in bina
magna Hemisphaeria.*

Theoria Eclipsium Solis & Luna, 7. vol.

Tabula Eclipsium Solis & Luna, 9. vol.

Theoria Fixarum, 4. vol.

Tabulae ad Fixarum calculum spectantes, 5. vol.

BB ——— Tabulae Sinuum, Tangentium & Secantium.

Stellarum fixarum ortus & occasus, 2. vol.

Compendium utriusque sphaerae.

Brevis ratio calculandi eclipses, 2. vol.

Compendium

Compendium de cæli observationibus, & mensuris, 2. vol.

Trigonometria, 2. vol.

Libelli supplices in favorem Astron. Europææ, 4. vol.

Responsa ad dubia proposita circa Ephemerides Europæas.

Compendiosa introductio ad Astronomiam.

*Index librorum astronomicorum à Ptolemaeo, Copernico,
Tychone editorum.*

Differentia astronomie Sinica ab Europæa, 2. vol.

Ejusdem Conciones manuscriptæ vulgo leguntur.

XXX. P. RODERICUS FIGUEREDO
Lusitanus eodem anno 1622. venit in *Cai fum* Me-
tropolim Prov. *Ho nan*, ubi Ecclesiam fundavit.
Zum chim Imp. anno 16. in communi urbis dilu-
vio & ruina velut pastor bonus cum ovibus suis
submersus est anno 1642. cum à primoribus in-
vitatus, extra urbem se recipere constanter recu-
sasset. Ab eo edita.

*Totius Christianæ fidei explanatio vulgari stylo sub alieno
nomine, 4. vol. Ubi de Passione Domini.*

*Manuale Variarum precum, 2. vol. Ubi rursus plura
de Passione Domini.*

Ad hortatoria ad rectè orandum.

XXXI. P. JOANNES FROES Lusitanus

F

Tien kin Imp. anno 4. 1624. venit in Metropolim
Ham cheu Prov. *Che kiam*. *Zum chim* Imp. anno 11.
 (1638.) obiit cum opinione sanctitatis. Sepultus
 est in loco *Fam cin* dicto. Ab eo edita.

Præparatio ad bonam mortem ubi multa de Passione &
morte Christi. Item compendium Dominicæ Passionis.

Modus orandi ad sancta Christi vulnera.

Litaniæ de S. Passione Domini.

XXXII. P. JACOBUS RHO Mediola-
 nensis eodem anno venit in *Kiam cheu* Prov. *Xen si*.
Zum chim Imperatoris anno 3. (1630.) regio man-
 data evocatus ad Aulam ad componendas Ephe-
 merides, ejusdem Imp. anno 11. (1638.) obiit.
 Sepultus est extra portam *Feu chim* dictam. Ab
 eo edita.

De jejuniis & mortificatione, 2. vol.

De 7. operibus misericordiæ corporalibus & spirituali-
bus, 2. vol.

100. *Selecta monita spiritualia S. Matris Teresie.*

Explanatio orationis Dominicæ.

Explanatio orationis Angelicæ, ubi plura de SS. Jesu
nom e.

De modo orandi.

Sententiæ sacrae Scripturae & SS. Patrum in singulos
anni dies.

*Geometria speculativa & practica linearum, superfici-
ciorum, corporum, 10. vol.*

De mensuris, Tabula 5. Planetarum, 10. vol.

Ad Planetarum ordines manuductio, 9. vol.

Theoria Luna, 4. vol.

Tabulae ad absolutum Luna calculum spectantes, 5. vol.

Theoria Solis.

*Omnes Tabulae ad absolutum Solis calculum spectantes,
2. vol.*

De Arithmetica.

Norma Zodiaci.

Compendiosa introductio ad Astronomiam.

*Solis Occidentis & Orientis, seu noctium & dierum
divisio per quadrantes, & minuta.*

XXXIII. P. ANDREAS RUDOMINA *Lithuanus*
Lusitanus anno Tien ki Imp. 6. (1626.) venit in
Prov. Fo kien Metropolim. Obiit ibidem 1632.
cum opinione sanctitatis sepultus extra Metropo-
lim Fo cheu.

Edita à litteratis ejus responsa ad varia ipsorum quaesita.

XXXIV. P. MARTINUS BURGENTIUS
Belga, Zum chim Imp. anno 2. (1629.) praedicavit
fidem in Prov. Kiam si, deinde in Nan kim Me-

IIVXXX

tropoli, ubi non diu post obiit, & sepultus est extra portam Australem infra collem *Yo hoa tai*.

XXXV. P. SIMON DACUNHA Lufitanus eodem anno veniens prædicavit Fidem in Prov. *Fo kien*. In hujus urbe *Yen pim* novam & ampliorem Ecclesiam operâ Præfecti Christiani construxit, veteri pro solis feminis servatâ; insuper & sacellum novum SS. Angelorum nomini dicatum. Postea renunciatus Visitator Aulam petiit, unde in *Quam tum* progressus est. anno autem *Xum chi* Imp. 17. (1660.) *Macai*, æt. 73. obiit, & ibidem sepultus est. Ab eo edita

Brevis Evangelii demonstratio.

XXXVI. P. STEPHANUS FABER Gallus *Zum chim* Imp. anno 3. (1630.) venit in Prov. *Xen si* urbem *Ham chum* (ubi Ecclesiam fundavit) aliaque ibidem oppida. Multa edidisse creditur signa & prodigia. Festo Ascensionis Domini (quod diu ante & sæpe prædixerat) juxta aram in templo suo obiit cum opinione sanctitatis, anno *Xun chi* 16. (1659.) sepultus cum magno tam Neophytorum quam Gentilium comitatu. Ex his paulò post plusquam 600. sacro fonte abluti. Hujus vitam Hispanicè conscripsit P. Joannes Eusebius Nieremberg. Ab eo editus.

Tractatus de Via maritime ex Europa in Sinas pro amore Christi, laboribus & periculis.

XXXVII.

XXXVII. P. PETRUS CANEVARI
 Genuensis eodem anno 1630. prædicavit fidem
 in Prov. *Che kiam* urbe *Kin hoa*, ubi templum
 erexit, deinde in Prov. *Fo kien* urbe *Yen pim*;
 denique in Prov. *Kiam si* Metropoli, ubi anno
Cam hi Imp. 14. (1675.) æt. 74. obiit, sepultus
 extra muros Metropolis *Nan cham*. Scripsit librum
De Martyrio.

XXXVIII. P. BENEDICTUS DE MATOS
 Visitator, Lusitanus, eodem anno venit primus
 prædicatum fidem in Prov. *Quam tum* insula *Hay
 nan*, ubi primam Ecclesiam fundavit. Anno au-
 tem *Xun chi* 8. (1651.) obiit, sepultus extra muros
 Metropolis *Kiam cheu*.

XXXIX. P. MICHAEL TRIGAULTIUS
 Belga, eodem anno veniens prædicavit fidem in
 Prov. *Xan si* oppido *Kiam cheu*, ubi Palatium Re-
 guli familiæ *Tai mim* ab Imperatore *Xun chi* pro
 nova Ecclesia extruenda donatum loco veteris
 dirutæ à loci Præfecto Fidei hoste. Anno dein-
 de 4. Imp. *Cam hi* (1665.) ex Aulâ venit in
 Provinciæ *Quam tum* Metropolim, quò in odium
 fidei unâ cum tribus è D. Dominici, & uno è
 D. Francisci Familia, viginti è Societate nostra
 Pekino fuerant relegati; ibidem obiit (1668.) æt.
 71. Sepultusque est extra Metropolim ad Austrum
Huvii.

XL. P. TRANQUILLUS GRASSETTI
 Italus propagavit fidem in Prov. *Kiam si* Metro-
 poli *Nam cham* : postea circa annum 1645. à Tar-
 taris urbem & vicina loca ferro & flamma va-
 stantibus interfectus est, ac sepultus extra muros
 Metropolis.

XLI. P. AUGUSTINUS TUDESCHINI
 Italus *Zum chim* Imp. anno 4. (1631.) prædicavit
 fidem in Prov. *Xenfi* : deinde profectus in Prov.
Fo kien, illic diem obiit, sepultus extra Metro-
 polim *Fo cheu*.

XLII. P. IGNATIUS DACOSTA Lusi-
 tanus venit anno Imp. *Zum chim* 7. (1634.) in Prov.
Xenfi, ubi variis in oppidis novas extruxit Eccle-
 sias. Deinde *Cam hi* anno 4. (1665.) profectus in
 Prov. *Quam tum* : ubi anno 1666. exul obiit, ac
 sepultus est extra Metropolim. Reliquit ad præ-
 lum.

De peccato originali ejusque remedio.

De Incarnatione Domini & Passione, 2. vol.

De SS. Trinitate, 2. vol.

Declarationem Symboli.

De Senectute.

XLIII. P. FRANCISCUS PEREIRA
 Lusitanus *Zum chim* Imp. anno 9. (1636.) venit

in Prov. *Ho nan*, unde revocatus obiit in India.

XLIV. P. ANTONIUS DE GOUVEA Lusitanus eodem anno 1636. prædicavit Fidem in Prov. *Hu quam*, ubi anno 1639. Ecclesiam habuit: deinde in Prov. *Fo kien* ubi operâ Proregis novam extruxit Ecclesiam. anno 16. Imp. *Cam hi* (1677.) obiit, æt. 85. sepultus extra Metropolim *Fo chen*.

Sub nomine ipsius editus à Prorege *Tum* adhuc Gentili, postea Christiano Michaële

Catechismus vulgari stylo.

Item elogium S. legis lapidi insculptum erectumque ab eodem Prorege.

XLV. P. JOANNES MONTEIRO Lusitanus *Zum chim* Imp. anno 10. (1637.) venit in Prov. *Kiam si*: dein profectus in Prov. *Che kiam*; tandem legatus est in Indiam, ubi obiit. Ab eo edita.

Compendium legis divinæ.

De Vero & falso cultu, & adoratione.

Speculum illuminans tenebras: ubi agit de Deo; anima, vera Religione, 4. nominissimis.

XLVI. P. HIERONYMUS DE GRAVINA Siculus eodem anno 1637. prædicavit fidem in

Prov. *Che kiam*, dein in Prov. *Nan kim* civitate *Su cheu* & *Cham xo*. Hic veteri exustâ Ecclesiâ novam extruxit, præter alias in pagis vicinis. *Cam hi* verò Imp. anno 1. (1662.) æt. 70. obiit cum opinione sanctitatis in civitate *Cham xo* quæ subest urbi *Su cheu*. Sepultus est in monte *Yu xan* dicto. Ab eo edita.

De Dei attributis, & Fidei mysteriis considerationes & exempla, 6. vol.

XLVII. P. LUDOVICUS BUGLIUS Sículus eodem anno 1637. venit in Provinciam *Nam kim*: primus intulit fidem anno 1640. in Prov. *Su chuen*, in cujus Metropoli *Chim fu* sedem habuit & Ecclesiam. Deinde imperante familiâ *Tai cim* Tartaro-Sinica in Aulam venit, ubi ab Imp. *Xum chi* multis favoribus donatus est ac permissus novam in occidentali urbis parte Ecclesiam formâ Europæâ à fundamentis construere: tandem sequentis Imp. *Cam hi* anno 21. (1682.) diem obiit. Imperator illum dignatus est funebri elogio: obtulit insuper 200. aureos, & 10. volumina panni sericia in exequias. Dum viveret, iussit Imperator effigiem ejus depingi. Sepultus extra portam *Fen chim* dictam. Ab eo edita.

Missale Romanum.

Rituale Romanum.

Pars

- Pars Breviarii Romani.*
Officium parvum B. Virginis.
Commendatio animæ & Officium sepulturæ.
Index D. Thomæ Aquin. in totam Theologiam, 4. vol.
Ejusdem D. Thom. Summa Theologica, 30. vol. nempe
De deo, & attributis divinis, 6. vol.
De Creatione & statu primi hominis, 4. vol.
De SS. Trinitate, 3. vol.
De Incarnatione, 6. vol.
De Angelis, 5. vol.
De anima, 6. vol.
De rerum principio.
De Materialium creatione.
S. Legis compendium.
Apologia contra adversarios S. Legis.
Casuum summa ex Toletæ & aliis.
Christiana Fidei alterum compendium.
Vera Religionis criteria.
Parvus liber precum.
De Moribus & statu Europæorum libellus oblatæ
Imperatori.

Vita, mors & exequia P. Gabrielis de Magalhães.

De Leone libellus ex occasione leonis à Lusitano legato Imperatori oblatus.

De Falcone liber item oblatus Imperatori.

XLVIII. P. FRANCISCUS BRANCATUS Siculus eodem anno 1637. prædicavit fidem in Prov. *Nan kim* urbibus *Su cheu. Su kiam & Xam hay*: ubi Domini Jacobi, filii unici Colai Pauli & nepotum ejusdem auctoritate ac exemplo, nec non Prætorum favore supra 90. templa & 45. Oratoria in variis circum oppidis & pagis modo numerantur, & maxima Christianorum multitudo. Vigent hîc & alibi in singulis Ecclesiis & Oratoriis sodalitia Passionis Dominicæ, ubi ferventiores Neophyti sextis feriis coram imagine Crucifixi Jesu sese flagris cruentant: Sodalitia item SS. Angelorum pro instruendis puerulis; ad quod munus 60. Catechistarum sodalitium sub S. Xaverii auspiciis institutum: ut nihil dicamus de sodalitia sub S. Ignatii nomine & patrocinio, quod primo quoque mensis die frequentant Neophyti litterati. Anno demùm 4. *Cam hi* Imp. cum reliquis ex aula relegatus est in *Quam tum*, ubi anno ejusdem Imp. 10. (1671.) obiit in Metropoli *Quam cheu*; deinde translato in Prov. *Nan kim* ejusdem feretro, sepultus est in *Xam hay* extra portam Australem. Ab eo edita.

Tractatus de Eucharistia cum variis exemplis.

10. Decalogi praecepta exemplis illustrata.

Ecclesiae praecepta.

Refutatio vanarum divinationum.

Ascensio mensis in Deum ex creaturis.

Conciones ejusdem manuscriptae vulgò leguntur.

XLIX. P. MICHAEL VALTA Germanus *Zum chim* Imp. anno 11. (1638.) venit in Prov. *Xan si* oppidum *Pu cheu*: ubi æde cum Ecclesia extructis, anno ejusdem 16. (1643.) rebellibus oppidum ferro & flamma vastantibus, multis vulneribus sauciatus, post triduum obiit: sepultus extra oppidi muros.

L. P. NICOLAUS FIVA Germanus eodem anno 1638. venit in *Ham cheu* Metropolim Prov. *Che kiam*, ubi deinde obiit & sepultus est in loco *Fam cin* dicto.

LI. P. FRANCISCUS FERRARI Pedemontanus *Zum chim* Imp. anno 13. (1640.) prædicavit fidem in Prov. *Xensi*, & *Xan tum*, ubi fundavit Ecclesiam, dein *Cam hi* Imp. anno 4. profectus est in *Quam tum*, unde sexennio post ab exilio cum reliquis revocatus diplomate Regio ad Ecclesias *Xensi*, cum jam pervenisset in Prov. *Nam*

kim urbem pro regiam *Ngan kim*, diem obiit. Unde post mortem translato in Septentrionalem Sinarum partem illius feretro à P. Joan. Dominico Gabiani, sepultus est prope *Sing an* Metropolim Prov. *Xen si*.

LII. P. GABRIEL DE MAGALLHANES Lusitanus eodem anno 1640. cum socio individuo P. Ludov. Buglio Sinas ingressus, venit in Prov. *Suchuen* aliaque loca, ubi uterque gravissimis periculis à rebellibus & latronibus defunctus, & sapius à morte imminente ereptus: tandem *Xum chi* Imp. anno 5. (1648.) in aulam venit, ibique regios favores sapius expertus, & semel *Macaum* ab Imp. delegatus, demum *Cam hi* Imp. anno 16. (1677.) æt. 69. in aulâ obiit. Imperator illum dignatus est funebri elogio: obtulit insuper 200. aureos & 10. volumina serica ad exequias. Adhuc viventis effigiem depingi iusserat. Die autem exequiarum legavit tres Aulae Proceres, qui prosequerentur funus ad sepulturam, quæ est extra portam *Feu chim* dictam. Editum ab eo.

De Resurrectione carnis ex D. Thoma, 2. vol.

LIII. P. STEPHANUS ALMEIDA Lusitanus eodem anno 1640. prædicavit Fidem in Prov. *Xen si*, deinde in Prov. *Kiam si* Metropoli *Nan sham*. circa annum verò 1645. à Tartaris urbem & vicina

vicinâ loca diripientibus in communi cæde interfectus est sepultusque extra muros ejus urbis.

LIV. P. MARTINUS MARTINI Tridentinus *Zum chim* Imp. anno 16. (1643.) prædicavit fidem in Prov. *Che kiam* oppido *Lan ki* ubi Ecclesiam fundavit: dein perrexit in Aulam. Inde ingressus Prov. *Fo kien*, ac tandem ex Europa rediit in *Che kiam*, operâ Proregis magnificam Europâ formâ extruxit Ecclesiam, in quâ Imp. *Xun chi* anno 18. (1661.) diem obiit. Sepultus est in loco *Fam cim* dicto. Ab eo edita.

De Deo & animæ Immortalitate ex Lessio.

De amicitia.

Contra Metempsychosim Bonziorum.

LV. P. NICOLAUS SMOGOLENSKI Polonus, eodem anno 1643. prædicavit in Prov. *Nan kim*. Postea *Xun chi* Imp. anno 10. (1653.) ingressus Aulam, copiam sibi fieri postulavit prædicandi fidem in Tartariâ. Sed ex mandato Regis permissus tantum est in quocumque alio Imperii loco pro libitu Dei legem prædicare. Tandem profectus in Prov. *Quam tum* urbem prætoriam *Chao kin*, obiit ibidem, & sepultus est extra muros. Ab eo edita.

Mappa Mundi Ellip.

Haecenus, qui sub Imperatoribus Familiae *Tai min* ingressi memorantur, è Societate nostra 56. praecones Evangelii, dilatata jam fide Christiana per alias octo Provincias, *Pekin, Honan, Suchuen, Xensi, Xansi, Huquam, Fokien, Xantum*, praeter quatuor memoratas supra Provincias saeculi praeteriti. Qui sequuntur ingressi Imperante Familia *Tai cim* Tartaro-Sinica, sub qua Ecclesiae quae haecenus privatae & quasi domesticae fuerant, tandem publice erectae & apertae sunt.

LVI. P. ANDREAS XAVIER COFFLER Germanus *Xun chi* Imp. anno 6. (1649.) primus venit in Prov. *Quam si* Metropolim *Quei lin*, ubi Ecclesiae jecit fundamenta. Hujus operam anno 1650. baptizata Imperatrix Helena, & Regina mater Anna, & haeres Imperii Constantinus, & Colaus *Pan* Achilleus. Sed deinde occiso à Tartaris Imperatore *Yum lie* ejusque filio, Reginae abductae sunt in Aulam Tartari, ubi expensis Regis aluntur & Christum constanter colunt. Anno verò *Xun chi* Imp. 13. (1656.) P. Xavier obiit, & in Prov. *Quam si* sepultus est.

LVII. P. MICHAEL BOYM Polonus *Xun chi* Imp. anno 7. (1650.) venit praedicatum fidem in Prov. *Quam si*: unde mox in Europam legatus est cum litteris Imperatricis Helenae ad Alexandrum VII. Pont. Max. deinde ex Europam redux, anno 1659. obiit & sepultus est in Prov. *Quam si* confiniis.

LVIII. P. JOANNES VALAT Gallus *Xun chi* Imp. an. 8. (1651.) fidem praedicavit in Prov.

Nan kim, inde in Aula, ac demum in Prov. *Xantum* Metropoli, ubi ædes & Ecclesiam restauravit præter Ecclesiam in oppido *Tain gan* aliaque Oratoria & Missiones numero undecim. Præterea in *Siu cheu* finitima urbe Prov. *Nan kim* novam extruxit anno 1678. opera *Heu* belli ducis qui non multò ante mortem baptisma susceperat.

LIX. P. FELICIANUS PACHECUS Lusitanus eodem anno 1649. venit prædicatum in Prov. *Nan kim* urbem *Hoayngan* modò in *Nam kim* Metropoli vineam dominicam excolit.

LX. P. EMANUEL GEORGIUS Lusitanus eodem anno venit prædicatum S. Legem in Metropoli *Nan kim*, nunc *kiam nhym* dicta, ubi novam Ecclesiam ædificavit, ornavitque: deinde in urbe *Hoangan*, aliisque locis. Ab exilio postmodum redux in *Nan kim* Imp. *Cam hi* anno 16. (1677.) ibidem obiit. Sepultus est extra Metropolim infra collem *Yo hoa tai*.

LXI. P. MATHIAS DAMAYA Lusitanus *Xun chi* Imp. anno 13. (1656.) prædicavit Fidem in urbe *kium cheu* Prov. *Quam tum*. Deinde *Cam hi* Imp. anno 1. (1662.) venit moderator missionis in Prov. *kiam si*, *Nan kim*, & alia loca: demum rediens *Macaum*, & illinc missus ad novas in Indiæ insulis missiones aperiendas, naufragiumque passus obiit.

LXII. P. JOANNES BAPTISTA BRANDO Neapolitanus eodem anno venit in urbem *Kium cheu* Prov. *Quam tum*, unde post diu navatam operam rediit *Macaum*, ibique obiit senio confectus 1682.

XLIII. P. JACOBUS LE FAVRE Gallus *Xun chi* Imp. anno 14. (1657.) venit prædicatum fidem in Prov. *Kiam si* urbe Proregia *Can cheu*, ubi Proregis *Tum* favore ædes & Ecclesiam primus fundavit; tum alteram in urbe *Kiengan* aliisque locis. Dein perrexit in civitatem *Xam hay* Prov. *Nan kim*. Inde primus è Societate excurrit in orientalem insulam *Zum mim*, ubi operâ & favore *Cum* Generalis armorum, ut vocant, ædes & Ecclesiam fundavit, matrem septem, quæ consecutæ sunt, Ecclesiarum. Deinde Imp. *Cam hi* anno 14. (1675.) obiit æt. 66. sepultus extra Australem portam urbis *Xan hai*.

LXIV. P. ADRIANUS GRELLON Gallus eodem anno 1657. prædicavit fidem in insula *Haynan*. Deinde in Prov. *Kiam si* Metropoli *Nan cham*, & in urbibus *Can cheu*, *Kien gan*, *Tin cheu*, *Nam hium*. Composuit *Vitas SS. Patriarcharum veteris Testamenti*.

LXV. P. JOANNES FORGET Gallus eodem anno 1657. venit prædicatum fidem in urbem *Kium cheu* Provinciæ *Quam tum*. Eiusdem Imperatoris

Imperatoris anno 18. (1661.) diem obiit & sepultus est extra urbem.

LXVI. P. HUMBERTUS AUGERI Gallus eodem anno 1657. prædicavit fidem in Prov. *Che Kiam. Cam hi* Imp. anno 12. (1673.) obiit in Metropoli *Ham cheu* & sepultus est in loco *Fam cin* dicto.

LXVII. P. NICOLAUS MOTEL Gallus eodem anno venit una cum duobus fratribus in *Kiam si* ubi tertio post mense obiit. Sepultus est extra portam orientalem Metropolis *Nan cham*: dein *Cam hi* Imp. anno 17. (1678.) translatum inde feretrum conditumque extra Metropolim *Vu cham* Prov. *Hu quam*.

LXVIII. P. CLAUDIUS MOTEL Gallus eodem anno 1657. venit in Prov. *Xen si* urbem *Ham chum*. Item in Prov. *Su chuen* duabus urbibus *Pao nim* & *Chum kim* fundavit operâ Doctoris Basilii duas Ecclesias anno 1662. *Cam hi* verò Imperatoris anno 10. (1671.) ex Prov. *Quam tum* ab exilio cum reliquis redux in Ecclesias, cum pervenisset in Prov. *Kiam si*, diem obiit in urbe *Can cheu*. Corpus delatum ad sepulturam quæ est extra portam orientalem Metropolis *Nan cham*: dein *Cam hi*, Imp. anno 17. (1678.) translatum feretrum conditumque extra Metropolim *Vu cham* Prov. *Hu quam*.

LXIX. P. JACOBUS MOTEL Gallus eodem anno 1657. venit in Prov. *Kiam si* ubi novæ & ampliores ædes & Ecclesia Basilii Doctoris operâ extructæ : deinde in Prov. *Hu quam* Metropoli *Vu cham*, ubi & rursus nova domus & Ecclesia constructa anno 1661. præter alias tres extra Metropolim & oratoria non pauca.

LXX. P. LUDOVICUS GOBBE' Gallus eodem anno 1657. venit in Prov. *Fo Kien* : deinde in Prov. *Kiam si*. ejusdem *Xum chi* Imp. anno 17. (1661.) ibidem obiit, & sepultus est extra portam orientalem Metropolis *Nan cham*.

LXXI. P. FELICIANUS DE SYLVA Lusitanus eodem anno 1657. venit in Prov. *Kiam si*, deinde in *Nam kim*, ubi mox obiit. Sepultus est extra Metropolim.

LXXII. P. BERNARDUS DISTEL Germanus à *Xun chi* Imperatore 1659. vocatus in Aulam ad præstandam operam circa Ephemerides. Quia verò clima noxium expertus valetudini, ab Imperatore ei concessum curandæ valetudinis gratia migrare in Provinciam *Xan tum*, ubi non multò post anno 1660. diem obiit, & sepultus est extra Metropolim *Cinan*.

LXXIII. P. ANDREAS FERRAN Lusitanus eodem anno venit in urbem *Hoaingan* inde

in Prov. *Fo kien* migravit, ubi uno post anno obiit,
& sepultus est extra Metropolim *Fo cheu*.

LXXIV. P. ALBERTUS DE DORVILLE
Belga eodem anno 1657. venit prædicatum fidem
in Prov. *Xan si* : deinde missus viâ terrestri Ro-
mam obiit Agræ in Regno Mogol.

LXXV. P. JOANNES DOMINICUS GABIANI
Pedemontanus eodem anno venit prædicatum
fidem in Prov. *Nam kim* urbes *Yam cheu* & *Chin
kiam*, ubi ædes novas stabilivit anno 1662. Deinde
ab exilio Cantonensi redux regio favore per-
missus est morari in Prov. *Xen si* urbe *Singan*, in
qua 22. Ecclesias variis in oppidis administrat.

LXXVI. P. PHILIPPUS COUPLET Belga
anno 1659. prædicavit fidem in Provinciis *Kiamsi*,
Fo kien, *Hu quam*, *Che kiam* & præcipuè in Pro-
vincia *Nam kim* in urbibus *Sum kiam* & *Xam hay* :
in urbibus verò *Hoain gan*, *Chin kiam*, *Zum mim*
insulâ, *Su cheu*, *Kia tim*, aliisque locis novas &
ampliores ædes & Ecclesias construxit operâ &
facultatibus magnæ benefactricis. Modo ex Eu-
ropâ Sinam repetit. Ab eo edita.

Catechismus per 100. quesita, & responsa.

Calendarium Ecclesiasticum perpetuum.

De quatuor novissimis.

Reliquit ad prælum vitam sancti Franc. Borgie.

*Sanctorum vitas compendiosas per singulos anni dies pro
suffragiis mensuris.*

LXXVII. P. FRANCISCUS DE ROUGEMONT
Belga eodem 1656. anno venit prædicatum fideni
in Prov. *Che kiam*: tum in Prov. *Nan kim* civitatem
Cham xo. In oppido *Tai cam* aliisque locis funda-
vit Ecclesias; administrans universim 14. Tem-
pla, Oratoria vero & missiones 21. Sodalitia Pas-
sionis Domini magno cum fructu ubique promo-
vit, uti & Sodalitia quæ dicuntur Angelorum,
Catechistarum & Litteratorum. Demum *Cam hi*
Imp. anno 15. (1676.) dum iter aggreditur in *Zum*
mim insulam, obiit in oppido *Tai cam*. Translato
à Christianis cum pompâ feretro extra muros ci-
vitatatis *Cham xo*, in monte *Yu xan* dicto sepultus
est. Ab eo edita.

Compendium legis Christianæ per quesita & responsa.

Dialogus de Baptismo & Communione.

Contra sectas per modum dilemmatum.

Cantiones rustica ad pietatem & bonos mores concinnata.

LXXVIII. P. PROSPER INTORCETTA
Siculus eodem anno 1659. venit in Prov. *Kiam si*
urbem *Kien chiam* ubi novam ædificavit Ecclesiam,
præter alias in variis oppidis: dein redux ab Eu-
ropa venit in Metropolim *Ham cheu* Prov. *Che*
kiam ubi tyrocinio præest Societatis nostræ. Extra
muros

muros ædificavit Ecclesiam juxta sepulturam nostrorum Sociorum, qui decem numero illic conditi sunt. Transtulit Sinicè

Regulas Societatis nostræ.

Item Exercitia spiritualia S. P. Ignatii.

LXXIX. P. FERDINANDUS VERBIEST
Belga eodem anno 1659. cœpit fidem prædicare in Prov. Xensi : unde anno sequente ex mandato regio in Aulam vocatus ad Ephemerides componendas. *Cam hi* vero Imp. anno 8. (1669.) post carceres & novem catenas in odium Fidei toleratas iterum jussus est præsidere Academiae Astronomicae : cujus post Deum ope factum est, ut & Religio Christiana in publicis comitiis declararetur sancta & innocens, & Missionarii ab exilio revocati in pristinas Ecclesias redirent. Post hæc ab Imp. quamvis sæpius recusans, donatus est variis dignitatum titulis, in primis eo quem manu regiâ in ædibus nostris conscripsit & sigillo munivit hac forma, *Kim tien*, id est, *venerare cælum*, seu quod apud ipsos idem est, cœli Dominum : quæ fuit toto Imperio tacita quædam religionis Christianæ approbatio. Dein anno 1682. & 83. Imperator eundem in Tartariam utramque secum duxit. Ab eo edita.

Ordo proponendi mysteria fidei.

De S. Pœnitentiæ Sacramento.

- Responsa ad dubia de Eucharistiâ.*
- De Remuneratione boni & mali quæsitâ & responsa.*
- Criteria veræ Religionis, adjuncto catalogo PP. Societatis
Jesu qui Fidem prædicarunt in Imperio Sinarum.*
- S. Legis compendium lingua Tartarica.*
- Disputatio de vanitate divinationum.*
- Disputatio de sortium vanitate.*
- De theoria, usu, & fabrica instrumentorum astronomi-
corum & mechanicorum, 14. vol.*
- Eorundem instrumentorum imagines, 2. vol.*
- Astronomia perpetua Imperat. Cam hi, 33. vol.*
- Apologia contra calumnias in Astronomiam Europæam.*
- Compendium observationum cælestium.*
- Libelli supplices in favorem Astronomiæ restituta, 3. vol.*
- De usu Thermometri.*
- Mappa totius mundi terrestris, in duo magna Hemi-
spheria diametri 5. pedum divisa.*
- Triplicis generis mappæ stellarum.*
- Explicatio mappæ cosmographica majoris delineata ex
mandato Imperatoris, 2. vol.*
- Grammatica Tartarica.*

LXXX. P. STANISLAUS TORRENTE

Italus eodem anno 1659. prædicavit fidem in urbe *Kium cheu* aliisque locis Provinciae *Quam tum*. Deinde profectus in Aulam, unde rediit *Kium cheu*, donec *Cam hi* Imperatoris anno 20. (1681.) ibidem obiit, & extra muros sepultus est.

LXXXI. P. JOANNES GREUBER Germanus eodem anno 1659. *Macaum* venit, unde ex mandato regio in Aulam vocatus est occasione juvanda rei Mathematicæ: deinde missus via terrestri Romam, obiit in Germaniâ 1684.

LXXXII. P. ANDREAS LOBELLI Vifitator Neapolitanus eodem anno 1659. prædicavit in Prov. *Quam tum* Metropoli *Quam cheu*. In hujus Emporio celeberrimo *Fo xan* ædes & Ecclesiam stabilivit. Inde profectus in Prov. *Nan kim* cæteraque loca: tandem ingressus Aulam ex qua denuo rediit in Prov. *Quam tum*, obiit Macai senio confectus 1685. Ab eo edita

In quo sit vera Beatitudo, 2. vol.

Compendium S. Legis.

Alter. Carchismus per modum Dialogi.

4. *Novissimorum imago in magno folio.*

Documenta necessaria Doctrinae Christianæ.

Via ad rectè vivendum, & feliciter moriendum, 2. fol.

LXXXVI

Præcipua capita S. Legis.

Brevis methodus prædicandi fidem.

*Scriptit item meditationes præcipuorum Fidei mysterio-
(rum.)*

LXXXIII. P. CHRISTIANUS HERDTRICH Germanus *Xum chi* Imp. anno 17. (1660.) venit in Prov. *Xan si*. Inde missus ad Prov. *Ho nan* Metropolim *Cai fan* aliàs *Pien lean*, ubi operâ Doctoris Basilii novas ædes & Ecclesiam ædificavit. *Cam hi* verò Imp. anno 10. (1671.) Mathematicæ prætextu in Aulam accitus, anno deinde 1676. Regis consensu profectus in Prov. *Xan si* oppidum *Kiam cheu*, ibi diem obiit 1684. Imperator posthumo titulo manu regiâ conscripto ejus tumulum illustravit, misso illuc qui deferret, P. Philippo Grimaldi.

Magnum vocabularium Sinico-Latinum, ab eo scriptum sub prælo est.

LXXXIV. P. GERMANUS MACRET Gallus *Cam hi* Imp. anno 3. (1664.) ex urbe *Macao* venit in Prov. *Fo kien*: anno ejusdem 15. (1676.) obiit, & sepultus est extra muros Metropolis *Fo cheu*.

LXXXV. P. DIDACUS DE ROCHA Lusitanus eodem anno 1659. venit in *Quam cheu* Metropolim unde *Macaum* rediit.

LXXXVI.

LXXXVI. P. JOSEPHUS MAGALLHANES
Lusitanus eodem anno 1659. venit in *Quam cheu*
unde rediit *Macaum*.

LXXXVII. P. FRANCISCUS DE VEGA
Lusitanus eodem anno 1659. venit in Insulam
Hay nan Prov. *Quam tum*.

LXXXVIII. P. DIDACUS DE SOTOMAJOR
Lusitanus eodem anno 1659. venit in Metropolim
Quam cheu, Provinciae *Quam tum*, unde missus in
Indiam Procurator ibidem obiit.

LXXXIX. P. ALEXIUS COELHO Lusita-
nus eodem anno 1656. venit in *Quam cheu*: inde
rediit *Macaum* Sinenses Neophytos instructurus.

XC. P. CAROLUS DE ROCHA Sabau-
dus ex naufragio ad oram Cantonensem ereptus
Cam hi Imp. anno 7. (1668.) in *Quam cheu* mox
obiit & sepultus est extra muros.

XCI. P. PHILIPPUS MARIA GRIMALDI
Pedemontanus *Cam hi* Imp. anno 10. (1671.) venit
in Metropolim *Quam cheu*, regio mandato voca-
tus in Aulam ut studium & operam conferret rei
Astronomicæ. Jussit ejus effigiem depingi Impe-
rator, a quo etiam ductus in Tartariam anno 1683.
& 85. legatus item cum duobus Mandarinis *Ma-
caum* ut novos Socios Pekinum deduceret.

M

XCII. P. FRANCISCUS XAVERIUS PHILIPPUCCI
 Italus eodem anno in *Quam tum* Prov. venit, ubi
 in vineâ Domini indefessus laborat, novasque
 missiones non paucas instituit. Multa scripsit Si-
 nensis eruditionibus plena.

XCIII. P. EMANUEL DE SIQUEIRA
 Sinensis adolescens profectus in Europam & Cu-
 riam Romanam, studii litteris Europæis, Philo-
 sophiæ, & Theologiæ. anno *Cam hi* 10. (1671.)
 venit in Aulam ubi anno 1673. obiit, sepultus
 extra portam *Feu chim*.

XCIV. P. EMMANUEL PEREIRA Lusita-
 nus eodem anno venit in Prov. *Nam kim* civita-
 tem *Xam hay*. *Cam hi* Imp. anno 20. (1681.) ibi-
 dem obiit & sepultus est extra portam Austra-
 lem.

XCV. P. THOMAS PEREIRA Lusitanus
Cam hi Imp. anno 12. (1673.) rei mathematicæ
 occasione adductus in Aulam est à Mandarino.
 Eundem anno 1685. in Tartariam secum duxit
 Imperator.

CXVI. P. SIMON RODRIGUEZ Lusi-
 tanus Imp. *Cam hi* anno 13. (1674.) venit in Pro-
 vincia *Nan kim* civit. *Xam hay*, unde migravit in
 Metropolim *Fo kien*, tum in *Cham xo* Prov. *Nan
 kim*.

XCVII. P. ANTONIUS PUSATERI
Siculus anno *Cam hi* Imp. 17. (1678.) venit præ-
dicatum in Prov. *Quam tum*, deinde in Prov. *Nan*
kim Civitatem *Xam hay*.

XCVIII. P. JOANNES DE YRIGOYEN
Hispanus anno *Cam hi* Imp. 18. (1679.) veniens
prædicavit fidem in Prov. *Nan kim* urbibus *Fu*
cheu, & *Cham xo*. Inde migravit in Prov. *Fo kien*
Metropolin *Fo cheu*.

XCIX. P. FRANCISCUS GAYOSSO
Hispanus eodem anno 1679. venit in Prov. *Fo*
kien, unde profectus in Prov. *Xen si*.

C. P. IGNATIUS DE MONTES Helve-
tius eodem anno 1679. prædicavit fidem in Prov.
Fo kien, ubi triennio post obiit, sepultusque est
extra muros Metropolis *Fo cheu*.

CI. P. ALEXANDER CICERI Mediola-
nensis *Cam hi* Imp. anno 16. (1680.) venit in Prov.
Quam tum Metropolim prædicatum fidem: unde
Romam missus reditum parat in Sinam.

CII. P. JOSEPHUS MONTEIRO
Lusitanus *Cam hi* Imp. anno 19. (1680.) adve-
niens prædicavit fidem in Prov. *Hu quam* Metro-
poli *Vu cham*.

CIII. P. EMMANUEL LAURIFICE

Saeculus eodem anno venit in urbem *Sumkiam*
 Prov. *Nam Kim.*

CIV. P. LUDOVICUS AZZI Lucensis
 eodem anno venit praedictum fidem in Prov.
Quam tum Metropoli.

CV. P. CAROLUS TURCOTTI Me-
 diolanensis *Cam hi Imp. anno 20. (1681.)* venit in
 Prov. *Quam tum* praedicaturus fidem.

Soli Deo honor & gloria.



DILECTO FILIO
FERDINANDO VERBIEST
VICARIO PROVINCIALI

SINENSI

SOCIETATIS JESU:

INNOCENTIVS
PAPA VNDECIMVS.

DILECTE FILI SALUTEM.

INCREDIBILIS PROPE ARGUMENTUM
lætitiæ attulerunt nobis litteræ, quibus post devotas fi-
lialis tuæ erga nos observantiæ significationes, duplex
ex amplissimo isto Sinarum Regno munus ad nos detulisti,
Missale videlicet Romanum Sinensi idiomate conscriptum

& imagines Astronomicas Sinensi item more à te affabrè delineatas, ad conciliandum Catholicæ Fidei favorem gentis in omni disciplinâ liberaliter excultæ & ad omnem virtutem mirificè propensæ. Jucundissimum verò præ cæteris fuit ex iisdem Litteris cognoscere, quàm sapienter atque opportunè profanarum scientiarum usum ad Sinensium populorum salutem, & ad Christianæ fidei incrementum utilitatemque deflexeris, earum Beneficio repellens falsas criminationes & calumnias, quibus nonnulli in Christianum nomen invehebantur, viamque tibi sternens ad eum gratiæ locum apud Sinarum Regem ejusque Consiliarios, ut solutus ipse gravibus molestiis, quas diu magno fortique animo pertulisti, sociosque tuos Missionarios ab exilio revocaveris, & religionem ipsam non solum pristinæ Libertati dignitatique restitueris, sed etiam ad meliora in dies speranda provexeris: Nihil enim est quod Dei adjutrice gratiâ sperari non possit, te tuique similibus viris apud gentem istam religionis causam agentibus, & Rege ipso ingenio tam solerti atque animo ad Christianam pietatem propenso, sicuti præ cæteris declarant, quæ is autoritate consilioque tuo adversus Hæreticos, Schismaticosque mandavit; cum è contrà Catholicos Lusitanos omni amoris atque humanitatis significatione complexus sit. Reliquum est, ut merito, quod in commissâ tibi Provinciâ gerendâ egregium hactenus comparasti, recentibus quotidie religiosi zeli consuetæque industriæ documentis majorem cumulum adjungas: in quod opus omnia tibi à Pontificia charitate, & ab hac sancta Sede polliceri debes; cum nihil antiquius pro Pastoralis nostri munere habeamus, quàm Christi fidem feliciter adolescere & propagari in nobilissimâ istâ & florentissimâ orbis Terrarum plagâ, quæ quidem quam-

vis à nobis immenso penè terrarum tractu sejuncta sit, proxima tamen, imò præsentem facit charitas Christi, cujus impulsu in populorum Sinensium æternam salutem sollicitudinis nostræ oculos curasque continenter intendimus: Pii interim laboribus & conatibus tuis, tuorumque sociorum bene precamur, & paterni, quo vos & omnes Sinensis Regni Fideles in Domino complectimur, amoris indicem Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimur.
DATUM Romæ, die tertiâ Decembris 1681.

Juxta Exemplar Romanum.





